

1795

C O D I C E S

1796

VIII. fol. 107. p. 2. *Incipit oratio de sancto brandano, quam quicunque cantauerit ducenties, valet contra centum psalteria et centum oblationes. Et qui cantauerit una vice, valet contra VII. psalteria et VII. oblationes. Et si quis cantauerit super altare, multum valet apud deum et redimet animam suam de inferno.* Mirum, quod haec non pariter oraculo pontificio commendetur. Ceterum, quidquid etiam hic Precum sequitur, sanum est, atque inter eas jam legitur Affectus ille: *Anima Christi sanctifica me &c.* quem non pauci recentiorem dixissent.

DCCXLIV.

U.701 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 332. f. magnifice exaratus, columna media Textum, marginibus Glossas exhibentibus, fronte picturata Autoris Iconem sistens, coloribusque distinctus inscribitur: *Incipit summa de penitentia a magistro raymundo composita.* Est is Gregorii IX. Tribonianus dictus de Pennaforti O. P. mortuus a. 1275. et inter Divos relatus. Produxo jam Opus istud Vol. I. P. 3. col. 2505. et hoc Vol. Summarum de Poenitentia et Matrimonio IV. Libris constantem vulgo compellant Literatores, sed in Codice hoc sane vetusto post Libros III. de Poenitentia, qui finiunt: *Venite benedicti percepite regnum. Amen.* novo titulo, nōvoque Capitum Elencho: *Incipit summa de matrimonio a magistro Raimundo composita.* Qua-

re duae potius distinctae *Summae* habendae sunt, id, quod nec mihi prius, nec in Editione Rom. 1603. f. quae mihi adjacet, observatum fuit. Ad calcem Librarius literis picturatis et mire crissatis signavit: *Qui scripsit hunc Librum pergit in Paradisum, cui Deus Electorum palmam tribuat in ibi eorum.* De Glossarum Autore jam dixi l. supracit. hic vero moneo, in Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 106. ad marginem annum mortis Raymundi errore typi depravatum esse in 1238.

DCCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2223 XIV. Folior. 355. 4. min. multis quidem vocum compendiis, nitide tamen exaratus, et coloribus distinctus ita inscribitur, et orditur: *Incipit summa de casibus fratris erafo nomine.* Quoniam ut ait Jeronimus Secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri — — ego remundus inter fratres ordinis predicatorum minimus &c. Vides, quid profuerit inepto rasori cultellus, qui et ad calcem Raymundi nomen studiose delevit non attendens, illud occurgere mox in primis Textus lineis. Novimus Dominicanis et Franciscanis non admodum saepe convenisse; litera porro prima Codicis D. Franciscum quinque stigmatibus insignem exhibet, unde credibile est eum in usum cuiusdam Familiae Seraphicae scriptum fuisse, nomen vero Autoris lividae aemulationis impulsu ab uno aliquo